V. *A circumciſione ad baptiſmum valet argumentum quantũ ad ſubſtantiam attinet.* e.g. Infantes in V.T. rectè fuerunt circumciſi. E. infantes in N.T. rectè baptizantur. Sed non valet ratione circumſtantiarum: ut, non quia circumciſio fuit adminiſtrata promiſcuè à patribusfamilias, imò etiam à fœminis, ſimiliter licet laicis adminiſtrare baptiſmum. Nam in N.T. Chriſtus coniunxit prædicationem verbi & adminiſtrationem baptiſmi. *Matth.* 28.

VI *Ab agno paſchali ad Chriſtũ valet argumentatio partim vi typi, partim vi ſacramẽti.* Nam agnus ille fuit typus Chriſti exhibendi, & ſimul ſacramentum ſacrificii eius corporis vera fide manducandi. *Iohan.* 19.36. 1. *Cor.*5.

VII. *Ab agno paſchali ad ſacram cœnam valet argumentum vi convenientiæ, quæ eſt inter ſacramenta V. & N. T.* Non itaque rectè dicitur, agnum paſchalem fuiſſe typum eucharistiæ: quia ipſa quoque eucharistia eſt typus ſacrificii Chriſti, quippe quod ipſa non minùs repræſentat quàm agnus paſchalis: etſi non eſt typus V.T adumbrans rem venturam. Itaque rectè dici poteſt, eucharistiam ſeu cœnam Domini eſſe ἀντίτυπον agno paſchali, id eſt, typum illi typo è regione reſpondentem. Quo ſenſu baptiſmus dicitur ἀντίτυπον conſervationi Noachi in arca 1. *Petr.* 3. 21.

Caput XXXI.

De Baptiſmo.

I. *A Baptiſmo fluminis ad baptiſmum flaminis, ſanguinis, & luminis, & viciſ-*